

Dum in promptu est loquendi, scribendi, meditandi agilitas, agnoscimus velle DEUM ut agilitatis fructum habeamus in numerato: Ast ubi præter culpam nostram, & ipso laborantium fato paratissima hæc facultas paulatim decrescit, ad angustiores servitorum circulos redigi, non immerito credimus. Quid enim de misericordiâ, de clementiâ, de benignitate Optimi Patris liceret sperare, si, quod Ægyptij faciebant Israëlitis, subtracto stramine postulare lateres, hoc est, ademptis agendi viribus, robustam exigeret actionem. O incipe igitur agnoscere felicitatem, qui homine debilitato nihil habuisti miserius. His nimirum fecialibus molestiæ justitium, tumultui silentium, curis otium indicitur. Neq; tutum foret quiescendi beneficium contemnere, quod divino quasi jussu, sive Jubilæi, sive Sabbathi loco permittitur.

Dum hæc eloquor, incidit moneta apud Græcos Orientis Imperatores frequentata, quæ CHRISTUM expressit ita, UT GERERET LIBRUM CLAUSUM, quasi dicerent inspicientibus, *NON APERTIS SALTEM LIBRIS DEUM DELECTARI, SED INTERDUM AFFULGERE TEMPUS, UBI CLAUSO LIBRO PLACERE LICEAT.* Ac ne sine exemplo hinc discedam, quis inter superioris seculi Theologos, post Lutherum, major fuit CHEMNITIO? quis in tuenda DEI gloria, firmandoq; pietatis studio sese gessit Sanctiorem? neq; tamen is dubitavit EXTREMUM VITÆ BIENNIUM, EXTRA PUBLICOS NEGOTIORUM STREPITUS SIBI RESERVARE. Quin etiam si non SEPTIMUS saltem dies, sed SEPTIMUS etiam annus tranquillam laborum cessationem attulit, cur, qui annum volvis DECIES SEPTIMUM, non merearis pri-